



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

IV. Conuentus Wittenbergae habitus de concordia inter Lutherum &  
Bucerum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

ni ab opinione sua discessuri forent, certissime exploraret. Fecitque id Melanchthon, ut ejus ad Urbanū Regium Symmystam Lutheranum testatur, quibus indicat Bucerum cum socijs suis paratum esse ad Augustanæ Confessionis normam de Eucharistia docere & profiteri publice, nempe quod Christi Corpus substantialiter vereque sit præsens ac porrigatur sumentibus, cum in Cæna Domini panis ac Vinum accipiuntur. (a) Accessit eodē studiū Augustanæ civitatis, quæ cū consiliū mutandæ religionis coqueret legatos miserat ad Lutherum duos, nempe Geronem & Huberianū, iussos concordiæ studium quantum possent promovere. Itaque Lutherus datis ad Senatum August. literis mente Julio admodum benigne respondit se cum suis allaboraturum deinceps, ut animi dissidentium sincero nexu conjungantur, & non modo pax sanciretur, sed & suspitionum causæ tollerentur. (b) Senatus Augustanus acceptas literas & consilium alijs civitatibus communicavit, conventumque est ut Jsenaci Thuringiæ in civitate Anno sequenti 1536. ad 14. Maij Synodus Luthero-Zwingliana celebraretur, non Saxonis, nec aliorum sed Lutheri autoritate indicta, quæ tamen ob Lutheri invaliditatem postea VVittebergam est translata. (c) Venerunt ex Helvetijs missi Bucerus & Capito, qui 21. Maij VVittebergam sponte venerunt, una cum Myconio Gothano prædicante, ubi aliquot dierum tractatu, demum simulatam concordiam Conventum est, à mutuo fallentibus & falsis. Prolixè hæc Acta exhibet Ulenbergius (d) Sed partes singulæ aliter & aliter pro suo libitu narrant. Sacramentarij aiunt, Bucerum ad Lutherum reversum ab eo impetrasse ut Confessionem cuidam subscripserit, ad ipsorum Confessionem proxime accedenti, adeoque ut Bucero & Capitoni sub animæ salute promiserit, eam inviolabiliter se servaturum: ac tum eundem vaticinatum, nisi pax ab una & altera parte tam corde quam ore conservetur, res omnes in deterius prolapsuras. Hoc idem in epistola ad Helvetios minatur. Sed hæc omnia Anno MDXLIV. à Luthero revocata & infracta ijdem Sacramentarij testantur.

VI. Porro Bucerum cum formula concordiæ VVittebergæ intæ Tigurini, maxime Bullingerus & Leo Juda rogarunt, ut ad Ecclesiæ utilitatem Tigurum veniret. Eo profectus Bucerus invenit nec illos nec alios suæ VVittebergensi

Concordiæ assentientes, Itaque homo vaser inter incudem & malleum vehementer Tigurinos obsecrat ne Lutherum irritarent, ipse pollicitus in eorum Confessione se permanurum. Deinde Declarationem quandam conscribit aliter verbaliter sensu formatam cui Basileenses, Schaffusiani, & Sangallenses subscripserunt; à Bernatibus vero ut eam approbarent impetrare non potuit. Sic homo ille serpentem imitatus fraude dolisque utramque partem sub iugum suum mittere conabatur, ea arte grassatus, ut aliud verbis præferant, aliud sensu absconditum gerant, quam Buceri artem deinde Calviniani avidè amplexi, in præsens tempus studiosè conservant. Bucerus igitur VVittebergæ Lutheranus, in Helvetia palam se Zwinglianum esse, ferebat, imo, quod Pellicanus in epistola quadam exprobrat, Lutherum eiusdem secum esse sententiæ asserbat. Hunc exitum habuit, VVittebergæ indicta Synodus à Luthero in qua ipse ridiculus Papa præfedit, & magis ridicule Bucerus, Capito, Bugenhugius, seu Pomeranus, Jonas, Cruciger, Melanchthon, Menius, Miconius Ex-monachi & miserabiles apostata, tanquam Patres, universæ Ecclesiæ corpus representantes, confederuor, & hæreticorum more se mutuo sefellunt. imo sibi fidem nullatenus adhibuerunt. (e) Porro Summa Conciliabuli illius VVittebergici hæc fere est. (f) Lutherus cum Bucero quod quibusdam Zwinglij, & Occ. lampadij opusculis epistolam præfixisset, acerissimo expostulavit; verum ille resista in typographum culpa, se excusavit. Aliquot ibi sessibus de Cæna Domini magna contentione disputatum fuit Tandem omnes in Lutheri concesserunt sententiam, nempe vero, realiter & re ipsa verum corpus & sanguinem Iesu Christi in Cæna esse sine ulla specierum mutatione. (Sed quomodo hæc cum VVittebergensis Ecclesiæ confessione omnium Lutheranorum ecclesiarum matris conveniunt? ubi folio 144. ita dicitur: *Credimus tantam esse Dei potentiam, ut panis & vini in Eucharistia substantiam annihilare, aut in corpus & sanguinem suum mutare possit.*) Ibidem conclusum fuit, corpus & sanguinem Christi tam à malis quam à bonis recipi, nec mysterij huius veritatem à personarum dependere meritis sed à bonis sumi ad salutem, à malis vero ad iudicium. At quo-

Vlenberg. Vit. Melanch. cap. 11. num. 1. b Vlenberg. Vit. Lutheri cap. 27. num. 1. c Vlenberg. loc. citatis. d Vita Luth. cap. 27. e Vlenberg. loc. citatis. & Vlenberg. loc. citatis.

quomodo hoc iterum cohæret cum alibi assertis? modo illi si lem habeant. Turcam enim, Iudæum aut paganum, etiamsi panem accipias corpus tamen Christi non accipere, non magis quam mus aut aliquid aliud animal quod panem illum devoravit. Bucerus autem & Capito Argentoratum reversi Acta Conventus Saxonici Basileam miserunt, à quibus Carolstadius & Simon Grynaeus Argentoratum ablegati, Bucerum Basileam adduxerunt.

Verum acutissimi hi Theologi turpiter hallucinantur. Corpus enim Christi loco substantiæ panis, est sub panis accidentibus, ac propterea in egruibi manet quam diu substantia panis ibi permaneret! At panis substantia eousque permaneret quoad accidentia & dispositiones ad conservationem dictæ substantiæ necessariæ, alteratæ sunt & destructæ per accidentia & dispositiones contrarias panis substantiæ: quemadmodum chili in stomacho qualitates paulatim in materiam panis introducunt, ac panis qualitates aliæque accidentia destruentes, tandem panem omnino corrumpunt & ex eo chilum faciunt. Vel sicut qualitates ignis lignum amplexæ: paulatim ligni qualitates destrunt, quibus destructis, iam non amplius lignum est, sed lignum in ignem est mutatum. Sic corpus Jesu Christi sub panis accidentibus aut speciebus integrum permanet quamdiu accidentia illa non alterantur, & sufficientia sunt ad panis, si is adesset, conservandam substantiam; sed quamprimum accidentia à contrarijs, paulatim in hostiæ quantitatem que pro subiecto est, introductis, v. g. à calore stomachi aut alio naturali agente, ita alterata sunt, ut nec apta nec sufficientia sint ad conservandam panis naturam, corpus Christi ibi esse definit, eiusque loco natura quædam novis illis accidentibus conveniens producitur. Sed non minus veram quam profundam hanc Theologicam contemplationem, in quam me novorum Evangelicorum error deduxit, omitto, illud hic docuisse contentus ad receptionem corporis Christi nihil interesse utrâ fidem quis habeat vel non; imò idem tã à Turcapagano, imò à quocumque animali, quam ab homine Christia recipi.

Idem hic Bucerus diu se vehementer torfit, dicens, *Se quidem non negare corpus Christi in Eucharistia præsens esse; at ab impijs recipi, id vero horribile dictu sibi videri.* quid igitur Bucerum dicturum putamus si Christi Corpus à diabolo tractatum & protatum legat apud Matthæum

& Lucam? & venisse in manus peccatorum & c. utique ista horribilia videbuntur Buce- ro, & credi proinde non poterant à pijsimo illius animo. Tandem nihilominus Luthero fi- cte assensus est. Scribit Miconius in epistola quadam ad Vitum Norimbergensem Prædican- tem, *Bucerum & Capitonem ubertim tum flevisse, se vero omnes oculus ad cælum elevatis gratias, Deo egisse, ac post fraternos complexus & gratulationes, ad ecclesias suas unumquemque reverbos, ut unanimi voce doctrinam illam prædicarent. Ante discessum vero ipsorum Lutherum vespertinam concionem ha- buisse, ex illo S. Marci: Euntes in Mundum uni- versum, prædicate Evangelium omni creatura. Ad- dit sibi quidem Lutherum sæpius auditum: sed tum vocem eius quasi tonitru à cælo veniens sibi visam (a)* Vide quomodo illi Martini sum, tamquam novum Christum deificent, Apostolos suos ad annunciandum Evangelium per universum ter- rarum orbem dimittentem. Sed horum Apo- stolorum concordia non diu duravit, quo uno mittentis stultitia & vanitas convincitur: & sa- ne Mundus ille in quem Lutherus eos misit, pau- ca nimis terræ iugera complectitur. Hoc in con- ventu, uti supra dictum est, Bucerus Luthe- ri partibus se palam adiunxit, atque etiam velut ad culpam eluendam, in Annotationibus ad VI. caput Joannis, peccatum suum aperte fassus, ac veniam tam sibi quam alijs precatus est cum Bucerus apud Helvetios luctatur, & subscriptio- nem in formam Concordiæ VVitteberga allatæ, impetrare nequit, eo quod tam leviter in Lutheri gratiam discessisset à Confessione, quam Helvetij veram se habere gloriabantur, ad subdola consilia sæpe converso accidit aliquid opportunum, quo subscriptionem aliquam expressit, nempe hæc dicebat ille concordiæ formulam ita esse concep- tam ut ipsi verbis concordiæ à sua sententia disce- dere non compellantur, posse ergo suum sensum de cæna tenere, & nihilominus subscribere, eo quod Lutherani Smalcaldicæ conventum agen- tes, Helveticas civitates non essent fœde- ri ascripturi, nisi qui concordiæ de cæna sub- scripissent. Hoc demum stratagema Bucero successit, & Anno 1537. literas ab Helvetijs impetravit quibus ad Lutherum datis significa-  
V i  
rent,

*a Vid. Ludou. Rab. Vlmens. Superintend. Hofi. de Here- sibus. Vlenberg. Vit. Luth. cap. 27. num. 2. & Vit. M. lanch. cap. 11. Steph. Vinton.*

ret, sibi placere ut annorū superiorum offensiones oblivione aboleantur & pax inter eos vigeat & c. (a) Atque id est, quod Lavaterus ait, *Bucerum postquam se diu multumque torfisset, nec tamen id quod cupiebat posset assequi, ad Lutheri quidem partes se adiunxisse sed non aliam ob causam quam ut Argentoratum, ubi Pastoris munere fungebatur, in sedus Smalcaldicū posset recipi, à quo ij qui cum Luthero & Lutheranis non sentiebant, erant exclusi, missus fuit hęc secunda expeditione iterum Bucerus ad Lutherum, at non cum Capitone sed Lycosthene socio, à quibus acceptis literis Helveticis, Lutherus Calendis Decembris benigne respondit Placere sibi studium concordia, sed ominari non duraturum nisi compefcent turbulentos & c. ita larvata concordia, irreconciliabiles animos tunc obtexit. (b) Bucerus deinde Argentoratum reversus est.*

V. Quāvis autē Bucerus cum Saxonis Ecclesiis, se sentire palā profiteretur, suas tamen quāsdā opinioniones habebat medias, modo causā agens Lutheri quem nequaquam irritandum esse semper dicebat, modo Zuinglij favens opinioni, quā meditatio Buceriana in hoc posita erat, quod diceret Lutheri & Zuinglij opinioniones verbis tantum inter se dissidere. Adhuc quum Petrus Martyr insignis Calvinista Argentoratum venisset, ac concionem ad populum esset habiturus, vehementer à Bucero rogatus fuit, ut de Cœna Domini controversiam non attingeret, aut saltem obscuris verbis de tanto mysterio loqueretur, nec certi quidquam pro vel contra hanc aut illam sententiam pronunciaret. Cui tamen Martyr dicto audiens non fuit, sed aperte & palam ut Simlerus testatur, Zuinglij sententiam defendit. Bucerus certe nihil minus ferre poterat quam controversiam hanc coram populo discutari, eoque conscientijs hac in re quod vellent credendi libertatem permittendam aiebat. Bullingerum vero in Commentarijs super Matthæum (e) scribere non puduit, *se quidem semper suavisse, et etiamnum optare, ut quæstiones hæ de reali corporis Christi in Cœna Domini presentia in extrema abyfso fuissent sepulta, atque omnibus pro arbitratu suo quod vellent quisque credendi facta potestae.* Et hæc ipsa fere verba, hoc idem vorum meminere Verbi quodam in Francia nostra Ministro à me auditum. Bucerus porro summum conciliandarum partium studium semper præ se tulit, eoque in nova Ecclesia exorta quæstione, statim se interponere solebat, inter partes ambiguas, &

iam huic iam illi favens. Sic postquam Ulricus Dux VVitembergicus Hassiæ Landgravij opibus & armis ditionem suam recuperasset, & religionem mutare vellet, Snepfiusque à Luthero èo missus Lutheranismum, Blaureus vero Constantiā veniens Zuinglianismum inter odere studeret; ad rem coram Principe discutiendam vocatus Bucerus se tamquam media orem interposuit, dicens: *Corpus Christi in Cœna vere dari seu porrigi, nimirum in substantia, & essentia, iter non vero in quantitate aut qualitate totaliter, id est, ita, ut locum occupet quo dicto, quisquis tandem eius sensus fuerit utriusque parti, aliquid dare conatur simul Lutheranismum ac Zuinglianismum inducere tentavit tanto peior singulis quanto duo mali iuncti peiores sunt unoquoque seorsim.* Dux nihilominus pro Augustana Confessione pronunciavit, utque eam subditi sui sequerentur imperavit. Lutherum hominis hujus in constantia pæne ad insaniam redegit, quæ summo & feroci ingenio præditum noverat, eoque nihil magis metuebat, quam ne sua auctoritate, quam quanto pete ipse hæcenus defenderat opinionem convelleret, aut certe magis dubiā redderet & suspiciam. Veruntamē non adeo diu Lutherus se tenere potuit, quin contra Sacramentarios caute agentes, exardescere & furere iterum inciperet, nam cum Anno 1543. Tigurini Biblia in Germanicam linguam transtulissent Frofchoverus bibliopola exemplareorum VVittebergam velut munus amico Luthero misit, qui irritatus eo munere rescriptis ne sibi eiusmodi dona deinceps mitteret, nollet se participem esse Zvinglianorum conatum, utpote damnatorum hominum, & alios in damnationem præcipitantium. Tigurini igitur etiam versionem Lutheri aspernantes, opera Zvinglij in Tomos redacta ediderunt, idcirco Lutherus efferatus bellum cum Sacramentarijs, adeo per Bucerum conciliatis, instauravit Anno 1544. edens ultimam suam contra eos Confessionem de Cœna, qua omnes Sacramentarios Carlostadium, Zvinglijū, Oecolampadium & c. Et pariter damnavit, Zvinglijani tacti vehementer exacerbati sunt. Bucerus eos volens iterum componere nihil effecit, sed illi seq. Anno 1545. Apologiam contra Lutherum ediderunt.

Cer-

a Vlenberg, Vit. Luth. cap. 27. num. 4. b Vlenberg, Vit. Luth. ibid. & cap. 28. num. 3. c pag. 235.